

stratione; 2° Missalis, pro agendis intra Missam; 3° Breviarii, Pontificalis et Cæremonialis Episcoporum, quoad personas ad quas illorum librorum Rubricæ diriguntur.

Aliæ sunt Rubricæ in libris liturgicis quæ directivæ tantum sunt, quas accurate determinare non minus periculosum quam difficile est, et sane paucissimæ tantum sunt.

Quamvis autem Rubricæ directivæ de consilio tantum sint, et per se non obligent sub peccato, ratione tamen motivi inhonesti vel finis pravi, ex. gr., negligentia, socordia, animi dissipationis, etc., transgressio earum culpam venialem involvere, imo ratione contemptus, scandali gravis, vel periculi gravis in peccatum lethale incidendi, in peccatum mortale transire potest.

Quare, dicit S. P. Benedictus XIII, ab omnibus fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum administratione, in Missis et Officiis divinis celebrandis, aliisque ecclesiasticis functionibus obeundis, non pro libitu inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus, qui in minimis etiam sine peccato negligi, omitti, vel mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis stricte præcipimus, ut contraria omnia, quæ in ecclesiis vel sæcularibus vel regularibus (iis exceptis, quæ proprio vel Rituali, vel Missali, vel Breviario utuntur a Sancta Sede probato) contra præscriptum Pontificalis Romani et Cæremonialis Episcoporum, vel Rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant et omnino studeant remove, quavis non obstante interposita appellatione, vel immemorabili allegata consuetudine; cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum. (Concilium Romanum anni 1725. Tit. 15, Cap. 1.)

NOTA. Supra enunciatum distinctio præceptivas inter et directivas Rubricas, quia a pluribus jam sæculis ipsam exponunt auctores, licet non omnes eodem modo.

Fatendum est distinctionem istam esse confusam, et non satis intelligi, præsertim si cum quibusdam modernis asseritur, præceptivas esse et obligare illas solummodo Rubricas quæ ad Missam stricte pertinent, et nihil nos cogere ut alias omnes tamquam præceptivas habeamus, quæ potius instruunt tantum et dirigunt.

Etenim Rubricæ omnes, etiam extra Missam, sunt

leges, si autem leges sunt, patet ipsas ex genere suo obligare sub præcepto.

Non aliter sentiebant auctores antiqui, qui præceptivas vocabant Rubricas sub gravi obligantes, directivas vero illas quæ sub levi tantum obligant.

Rectius dicitur Rubricas esse simul præceptivas atque directivas: præceptivæ sunt quidem, quia præcipiunt et jubent quomodo dirigendi sunt actus quicumque cultus externi; directivæ autem, quia dirigunt actus eosdem qui præcipiuntur, seu docent quomodo jussa sunt adimplenda.

Cæterum distinctio in sensu an obligent Rubricæ vel non, si admittitur, theoretica tantum est; nam in praxi nullus auderet ab omni culpa excusare Sacerdotem, juxta Concilii Romani doctrinam, qui scienter et sine causa quamcumque vel minimam Rubricam negligat.

De quantitate obligationis vero, seu de majori minorive peccati gravitate circa Rubricarum transgressionem et negligentiam dicere, ad moralistarum provinciam pertinet.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 145, 340, 527 et sqq.; et II, 1888, pag. 139 et sqq.)

ARTICULUS II

De fontibus Sacrae Liturgiæ Romanæ

Q. 8. *Quinam sunt fontes, ex quibus desumuntur regulæ Sacrae Liturgiæ Romanæ?*

R. Fontes Sacrae Liturgiæ Romanæ sunt Libri liturgici, quibus pro sacris peragendis Romana utitur Ecclesia; quinque recensentur, scilicet: 1° Breviarium cum Martyrologio; 2° Missale; 3° Rituale; 4° Pontificale; 5° Cæremoniale Episcoporum. — Præterea regulas quoque tradunt Decreta Sacrorum Rituum Congregationis.

1° Breviarium continet ordinem et regulas pro quotidianis Horis canonicis rite persolvendis.

Ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini fuit restitutum;

Sancti Pii V jussu fuit editum anno 1568; et recognitum auctoritate primum Clementis VIII, anno 1602; deinde Urbani VIII, anno 1631; tandem Leonis XIII, anno 1885; hæc ultima recognitio reddit Rubricas Decreto S. Rituum Congregationis 28 Julii 1882 reformatas, et continet suo loco omnia Festa pro universa Ecclesia hucusque præscripta, Officia reformata, et Officia votiva anno 1883 concessa, necnon permulta nova Officia a S. Sede aliquibus locis indulta; ei futuræ editiones conformari debent. — Cum hæc typica Breviarii editio, anno 1885 evulgata, sensim inductis additamentis, ac præsertim Rubricarum variationibus, a S. Rituum Congregatione die 11 Decembris 1897 decretis, haud amplius sit conformis, nova editio, ceu typica pro futuris editionibus habenda, excusa et evulgata fuit anno 1900. (Cfr. QQ. 72-76.)

Breviario adjungitur Martyrologium, seu Catalogus Sanctorum quos Ecclesia per totum annum honorat.

Fuit editum jussu Gregorii XIII anno 1584; recognitum auctoritate Urbani VIII et Clementis X; auctum et castigatum labore et studio Benedicti XIV, anno 1749; et iterum diligenter recognitum et emendatum jussu Pii IX, anno 1873. — Quamplura elogia Sanctorum inde ab anno 1873 addita fuerunt; catalogus variationum et additionum a Secretaria S. Rituum Congregationis editus fuit die 11 Martii 1901. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 266.)

Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio, probante SS. Domino Leone XIII, novam editionem Martyrologii Romani, recognitam et auctam, imprimi decrevit, statuitque ab aliis ubique locorum deinceps typis edi non posse, nisi accedente auctoritate Ordinarii loci, et omnino ad normam hujus exemplaris.

2° Missale continet ordinem et regulas pro Sanctissimo Missæ Sacrificio rite celebrando.

Sicuti Breviarium, fuit etiam Missale ex Decreto Concilii Tridentini restitutum; Sancti Pii V jussu editum anno 1570; et recognitum auctoritate primum Clementis VIII, anno 1604; deinde Urbani VIII, anno 1634; tandem Leonis XIII, anno 1884; ultimam hanc recognitionem commendant: textus Rubricarum, juxta immutationes anni 1882 dispositus; Missæ omnes pro universa Ecclesia præscriptæ, Missæ votivæ anno 1883 concessæ, Missæque multæ et novissimæ aliquibus provinciis vel diocæsisibus a S. Sede indultæ, quæ omnes suo loco continentur; tandem cantus, de quo Summus Pontifex per Decretum S. Rituum Congregationis, 26 Aprilis 1883, præscripsit, ut aliæ Missalis Romani editiones in futurum huic cantui conformes esse deberent; quibus ex causis hæc editio suprema auctoritate munita est, cui omnes novæ editiones sint conformes. — Nova

editio, continens novissimas inductas Rubricarum additiones, et variationes die 11 Decembris 1897 a S. Rituum Congregatione decretas, excusa fuit anno 1899.

Exstat supplementum ad Missale Romanum, inscriptum: « Memoriale Rituum pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus. »

Fuit editum jussu Benedicti XIII, anno 1725. Exhibet praxim Rituum qui servari debent: 1° in benedictione Candelarum in Festo Purificationis B. M. V.; 2° in benedictione Cinerum in Capite jejunii; 3° in Dominica Palmarum; 4° in feria V in Cæna Domini; 5° in feria VI in Parasceve; 6° in Sabbato Sancto.

De eo ejusque usu agitur in Tomo V hujus Sacræ Liturgiæ cui titulus « Cæremoniale », in Appendice I, Q. 134.

3° Rituale continet ritus et preces, quæ in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt.

Fuit editum jussu Pauli V anno 1614; auctum vero et castigatum a Benedicto XIV anno 1752; novam editionem diligenter recognitam imprimi curavit S. Rituum Congregatio, statuitque per Decretum 24 Martii 1884, ut novæ ejusdem Ritualis editiones huic tamquam typicæ, præsertim quoad cantum, ad normam Decreti 26 Aprilis 1883 fideliter expressum, sint conformes.

In editionibus recentioribus Ritualis apponitur plerumque Appendix. Hæc continet collectionem Benedictionum, et variarum Instructionum, tum ad Missæ Sacrificium, tum ad Sacramentorum administrationem, tum ad alias sacras functiones pertinentium, quæ Sanctæ Sedis auctoritate approbatæ seu permissæ, in aliis libris liturgicis non inveniuntur.

In hac Appendice mutationes multæ reperiuntur factæ; præsertim quoad diversas formulas absolutionis generalis in articulo mortis impertiendæ hucusque usitatas, quas omitti oportuit juxta Decretum S. Rituum Congregationis, 7 Maji 1882 (n. 3550, antiq. 5845); et quoad multas Benedictionum formulas, recens approbatas, aut authenticitatis nota gaudentes; quæ omnes in editione supradicta anni 1884 exhibentur.

4° Pontificale continet ritus et preces pro functionibus episcopalibus.

Editum fuit jussu Summorum Pontificum ; recognitum vero et castigatum a Benedicto XIV, anno 1752. Per Decretum 3 Augusti 1888, S. Rituum Congregatio novam Pontificalis Romani editionem evulgari curavit, cui futuræ ejusdem liturgici libri editiones conformari debent, nihil prorsus addito, dempto, vel mutato. Eam editionem novam et singularem ut typicam habere voluit, eique quartam partem ut additamentum adjecit, in qua complures ritus ad majorem Episcoporum commoditatem concinnantur.

5° Cæremoniale Episcoporum tradit quæ agenda sunt in Ecclesiis præsertim Cathedralibus et Collegiatis ; sed insuper sæpe adhibetur ad explicandas aut splendendas Breviarii et præsertim Missalis Rubricas pro omnibus ecclesiis ; ideo vocatur jure merito liber per excellentiam liturgicus.

Quorundam opinio solas Cathedralis et Collegiatis Ecclesias, non autem reliquas, ad Cæremoniale Episcoporum teneri, falsa est et rejicienda ; nam S. Rituum Congregatio rescripsit, per Decretum 17 Augusti 1894 (n. 3839, ad 1) : « ad Cæremonialis Episcoporum observantiam, juxta Apostolicas Constitutiones teneri omnes Ecclesias, præcipue autem Metropolitanas, Cathedralis et Collegiatis. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 669 ; et Dissertatio *De vi obligandi Cæremonialis Episcoporum*, auctore J. Solans, Ratisbonæ, 1887.)

Editum et auctum fuit jussu Benedicti XIV, anno 1752. Nova editio solerti studio redacta, et in qua plures emendationes, imprimis quoad cantum et organum perfectæ sunt, cura Sacræ Congregationis Rituum impressa, ac uti typica habenda declarata fuit per Decretum 17 Augusti 1886, eique hujus libri editiones in posterum sunt conformandæ.

De impressione Librorum liturgicorum quædam notantur in Tractatu de Celebratione Missæ, Q. 153.

Q. 9. Quo anno, et a quo Summo Pontifice instituta fuit Sacrorum Rituum Congregatio ?

R. Dictum fuit in responso ad Q. 4 (II), jus liturgicum competere Summo Pontifici. Sed ob negotiorum quæ ad Apostolicam sedem pro regimine totius Ecclesiæ revolvuntur gravitatem et multitudinem, Summus Pontifex Sixtus V, Constitutione *Immensa æterni Dei* (22 Januarii 1587), instituit quindecim (hodiedum plures

sunt) diversas Congregationes aliquot Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quæ partiti oneris portiones commodius ac levius ferrent ; inter quas quinta assignatas habet tractationes de sacris Ritibus ac Cæremoniis, iisque omnibus quæ cum Sacra Liturgia connectuntur, et nomen habet SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS.

NOTA. Quinque Cardinales designavit Sixtus V, sed jam major est delectorum numerus : hodiedum reperiuntur in ea Cardinales circiter 30, quorum plures Romæ resident ; unus ex eis est Præfectus, cæteri sunt iudices.

Præter Cardinales habet hæc Congregatio Praelatos Officiales (numero circiter 15), Consultores (numero circiter 25), Officiales (numero circiter 10), qui e clero tum sæculari tum regulari assumuntur, subjectas causas cognoscunt, et opportunas responsiones iudicio Cardinalium proponunt, resque definitas expediunt. Instituta fuit inde ab anno 1896 Commissio Liturgica, quæ etiam examinat quæstiones proponendas et suum dat votum ; unde sæpius legitur in recentioribus S. Congregationis Decretis ; « audito voto Commissionis Liturgicæ ». Sex numero sunt hujus Commissionis socii. — Insuper pro causis Canonizationis vel Beatificationis adnumerantur circiter viginti numero Advocati et Procuratores, partim ecclesiastici, partim laici.

Denique per Decretum 28 Novembris 1902, S. Rituum Congregatio, probante SS. Domino Leone XIII, constituit peculiarem Commissionem historico-liturgicam, cujus erit, multiplices historicas quæstiones revolvere, dilucidare, enodare, quæ Agiographiam et Liturgiam tangunt, ac illas præcipue, quæ eventualem respicere possunt emendationem aut reformationem liturgicorum Codicum, scilicet Martyrologii, Breviarii, Missalis, Ritualis et similium. Constat hæc Commissio ex sex eximiis Sacerdotibus, qui designantur in Decreto ; quibus adjungi poterunt in posterum alii socii consulentes, qui ad opus apti videantur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 17.)

(Cfr. Haine, *Synopsis S. R. E. Cardinalium Congregationum*, Tit. XI ; et *La Gerarchia Cattolica per l'anno 1903*.)

Q. 10. Quodnam est Officium hujus Tribunalis ?

R. Sacræ Rituum Congregationis officium duplex est : 1° Curam habet de gravibus negotiis super Canonizatione seu Beatificatione Sanctorum, sive Cultu aliquorum Dei servorum. De hoc S. Congregationis Rituum officio agitur in Tractatu de Jure canonico.

2° Invigilat observantiæ et puritati rituum ac cæremoniarum, et festorum dierum celebritati ; — Sanctorum officia examinat et, consulto Papa, concedit ; —

cavet ne quid minus rectum minusve fidei consonum, aut religionis integritati ac decori impar in Dei cultu exercendo umquam irrepit; — insuper pollet facultate per Sedem Apostolicam sibi facta, interpretandi et declarandi concessionem Pontificias, Rubricas, et quæcumque dubia quæ circa ecclesiasticos ritus, cæremonias, ac divina officia insurgunt, et circa eadem disponendi, prout circumstantiæ, et temporum ac congruentiarum varietas exposcunt.

Ejus resolutiones vocantur **Decreta**.

Q. II. Ubi reperiuntur Decreta Congregationis SS. Rituum? In quibus differt recenter evulgata quarta Decretorum Collectio a præcedentibus? Quid dicendum est de Decretis quæ in præsentis Collectione non reperiuntur?

R. I. Decreta Congregationis Sacrorum Rituum reperiuntur in Collectione edita sub titulo: **Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata.**

Hujus Collectionis quarto jam Romæ editæ volumina tria prodierunt annis 1898 et 1900, et exhibent Decreta numero 4051, edita a mense Majo 1588 usque ad 15 Decembris 1899. Resolutiones tamen numero plures sunt, quia sæpe sub eodem Decreto ad plura et diversa Dubia proponitur quæsitæ et reddita responsio.

Appendicis instar evulgatum fuit anno 1900 volumen quartum, sub titulo: **Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum, et Suffragia atque Adnotationes super Decretis Sacrorum Rituum Congregationis.** In hoc volumine proponuntur eruditissimæ Adnotationes clarissimi Gardellini; necnon Vota doctorum ab ipso olim recentioribus Decretis subtexta, ab anno nempe 1817 ad annum 1837; et insuper Suffragia sex ad præcipua quædam Decreta ab anno 1893 ad annum 1897 edita.

Denique anno 1901 integrum opus excepit in volumine quinto **Index generalis rerum occurrentium in Decretis Sacrorum Rituum Congregationis**, qui Index, alphabeti ordinem prosequendo digestus, abunde et accurate Decreti cujusque sententiam brevi et dilucide enuntiat.

Per Decretum Urbis et Orbis, diei 16 Februarii 1898, SSmus Dnus Leo Papa XIII hanc Decretorum Collectionem Apostolica sua auctoritate approbavit, atque authenticam declaravit.

Hujus Collectionis editiones authenticæ tres jam præsentem præcesserunt; quarum prima exorsa est Romæ anno 1807, secunda anno 1827; utramque digessit et curavit clarissimus Aloysius Gardellini, S. Rituum Congregationis adessor, liturgicam disciplinam optime callens, et nemini diligentia, fide, eruditione secundus. Tertia prodit anno 1856, curantibus delectis viris liturgicarum rerum bene eruditis; quam exceperunt variæ Appendices, adeo ut hujus tertiæ editionis Decreta numerentur 5993, usque ad diem 23 Novembris 1887.

Quanto fuerit in pretio habita Collectio a Gardellini primum digesta apprime demonstrat illud quod trium editionum exemplaria vix in commercio reperiri contingat, et ab anno 1891 nova editio desiderari cœperit.

Quarta editio illa est quæ supra enuntiatur; ad eam curandam S. Rituum Congregatio instituit Commissionem sex liturgicæ rei peritorum, qui anno 1900 injunctum opus absolverunt, omnium Decretorum summa mature prudenterque per singulas partes æqua judicii lance pensitata.

II. Nova Collectio, temporis seu chronologico ordine servato, Decreta denuo refert, quæ in recentiore editione tertia excusa reperiuntur; iis tamen non paucis ademptis: *a)* quæ circa idem subjectum undecumque relatum, sæpius repetita supervacuo et otiose locum tenere compertum sit; — vel *b)* quæ per seriora authentica responsa fuerint abrogata; — vel *c)* quæ secum ipsa aut cum certo Rubricarum præscripto confligerent; — vel *d)* quæ modo, post novissimas ipsarum Rubricarum recensioni atque emendationes, jure suo prorsus exciderint; — vel *e)* quæ, mutatis rerum adjunctis, omni in præsentiarum usu careant ac utilitate. (Animadversio I in capite voluminis I.)

Consequentiam habuit hæc diversis ex rationibus supradictis ademptio quod Decretorum in præcedentibus editionibus excusorum copia ingens exsulaverit; et revera de Decretis numero 5993 præcedentis editionis remanserunt in præsentis quarta editione tantum numero 3682; insuper in Decretis quæ remanserunt, et in quibus plura et diversa Dubia proposita habebantur, aliis retentis, non paucae etiam resolutiones expunctæ fuerunt.

Quo vero inquirentium commodo prospiceretur, et studiosorum necessitati, recenti numero quartæ editionis pro singulo Decreto adjunctus fuit numerus antiquus qui Decretum in tertia editione adnotaverat. — Uterque numerus pro citatis Decretis in diversis Tractatibus nostræ Sacræ Liturgiæ semper adnotabitur.

III. Uti ex supradictis patet, plura præcedentium Collectionum Decreta fuerunt expuncta; insuper plura in variis auctoribus et ephemeridibus citantur et circumferuntur S. Rituum Congregationis Decreta quæ numquam in ulla authentica Collectione fuere promulgata.

Per Decretum 16 Februarii 1898, quo SSmus Dnus Leo Papa XIII quartam Collectionis editionem approbavit, simul « statuit Decreta hucusque evulgata in iis, quæ a Decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quæ pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant. »

Q. 12. Quomodo distinguuntur Decreta S. Rituum Congregationis? Explica.

R. Distinguuntur præcipue Decreta S. Rituum Congregationis tum sub respectu tituli seu superscriptionis, tum sub respectu objecti quod in ipsis proponitur.

I. Pervolventi Decretorum Collectionem statim apparet singula Decreta habere titulum, vel 1º plerumque peculiarem seu particularem, a nomine loci, nempe alicujus Diœcesis, aut alicujus Ordinis Religiosi; vel 2º aliquando generalem.

1º Si titulus particularem locum assignat aut Ordinem, signum est quod Dubia in hujusmodi Decreto resoluta proposita fuerunt ab aliquo Episcopo aut Ordinis Superiore, vel de eorum consensu, vel eorum nomine et auctoritate. Quando igitur titulus Decreti est *Mechlinien.*, *Tornacen.*, *Capuccinorum*, *Societatis Jesu*, Dubia fuerunt S. Congregationi proposita vel ab Archiepiscopo Mechliniensi, vel ab Episcopo Tornacensi vel a Superiore Capuccinorum, vel a Superiore Societatis Jesu, vel de eorum consensu, vel eorum nomine vel auctoritate ab aliquo ex eorum subditis; et a S.

Congregatione fuerunt his resolutiones ad proposita Dubia traditæ.

Si placet alicui hujusmodi Decreta uti particularia æstimare, quia Dubia fuerunt a particulari Episcopo vel Superiore proposita, et in eorum gratiam resolutiones fuerunt prolatae et editæ, non tamen inde deducendum est, quæcumque in his Decretis resoluta tantum esse accipienda et observanda a solis subditis Episcopi vel Superioris, et non ab aliis; quod ex infra dicendis patebit.

2º Si titulus Decreti generalis est, ex. gr., *Decretum generale, Urbis et Orbis*, signum est Decretum hujusmodi fuisse a Summo Pontifice vel a S. Rituum Congregatione motu proprio, et non ad petitionem alicujus particularis editum; et Decretum dirigi ad plures Diœceses, vel ad plures Ordinis vel Ordinum subditos, imo aliquando ad Ecclesiam universam.

In recenti Collectionis editione Decreta non pauca, primitus edita sub titulis particularibus diversis, conjuncta fuere et titulum mutuata sunt generalem; etenim in animadversione II, in capite voluminis primi legitur: « Cum interdum super materia centies retractata, innumera prope Decreta peculiaria haberentur, aptius visum est atque consultius loco illorum Decretum Generale unicum noviter adornare; quod cunctas istiusmodi peculiare definitiones complectens, rem omnem regeret atque absolveret; datum scilicet *Romæ sive Urbis*, sub aliqua propria die; et si quando, ratione objecti, *Generalis Decreti* titulum sortiri minime posset, tunc *Dubiorum* vel *Romana* titulo inscriberetur. »

II. Sub respectu objecti quod in ipsis proponitur distinguuntur Decreta 1º formaliter generalia, 2º Decreta æquivalenter generalia, 3º Decreta particularia.

1º Decreta generalia sunt ea quæ expressis verbis pro universa Ecclesia edita sunt, vel in quibus proponuntur regulæ in quibusvis Ecclesiis, et ab omnibus servandæ pro determinato objecto. Et quando hujusmodi Decreta habent titulum generalem, ab auctoribus vocantur formaliter generalia.

Exempla sint: Decretum generale 30 Junii 1896 (n. 3922), in quo describuntur regulæ observandæ quando dicuntur Mis-

18 (Q. 12) Decreta S. Rituum Congregationis

sæ votivæ; — Decretum generale 30 Junii 1896 (n. 3920), quo præscribuntur regulæ observandæ pro numero et ordine Orationum quæ dici debent in diversis Missis de *Requiem*; — Decretum *Urbis et Orbis*, 28 Junii 1889 (n. 3712), in quo proponuntur conditiones sub quibus conceditur Missa votiva de Sacro Corde Jesu in Feria VI quæ prima unoquoque in mense occurrit. — In his Decretis titulus est generalis, et objectum singuli Decreti tale est quod ubique jam et ab omnibus observari debet; sive Romæ enim, sive in Belgio, sive in America celebrentur Missæ votivæ, Missæ de *Requiem*, Missa votiva de Sacro Corde Jesu ut supra, ubique gentium et ab omnibus Sacerdotibus servari debent regulæ et conditiones in præfatis Decretis expresse determinatæ. Sunt igitur hæc Decreta formaliter generalia.

2° Decreta æquivalenter generalia ea sunt, quæ quidem titulum generalem non præ se ferunt, sed particularem, quia ad petitiones particularium sunt edita; quorum tamen objectum de quo in ipsis agitur generale est, nempe quod ubique et ab omnibus particulibus erit observandum: seu in quibus declaratur atque statuitur jus commune quod spectat non ad particulares personas tantum, sed ad omnes et ubique; qualia sunt Decreta quæ Rubricas interpretantur, earumque sensum determinant. — Objectum quidem est generale, titulus vero est particularis; titulus autem qualitatem objecti non mutat; et ideo hujusmodi Decreta censentur et vocantur æquivalenter generalia.

Exempla: Decretum formaliter generale statuit conditiones celebrationis Missæ votivæ de Sacro Corde Jesu in prima Feria VI cujusque mensis, ut supra; ad dubium propositum de mandato Episcopi Montis Politiani, S. Congregatio declarat hanc Missam debere celebrari cum *Gloria*, et *Credo*, et unica Oratione. (Decret. 20 Maji 1890, n. 3731, ad 1.) Etiamsi Decretum titulum habeat peculiarem *Montis Politiani*, id quod in ea resolutione declaratur profecto est objectum generale, et servari debet non tantum in Diocesi Montis Politiani, sed ubique et ab omnibus. — Rubrica Missalis præscribit quod Sacerdos celebrans in Altari in quo est Tabernaculum SS. Sacramenti genuflectat in accessu, item antequam incipit Missam (Ritus, Tit. II, n. 2, et Tit. III, n. 1); ad petitionem Episcopi Marsorum S. Congregatio decrevit genuflexionem in accessu esse faciendam in plano, alteram vero in infimo gradu Altaris. (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 47, antiq. 4669, ad 51.) Nemo æstimabit hanc declarationem Rubricæ Missalis servandam esse a solis subditis Episcopi Marsorum, et non ab omnibus

Decretorum S. R. C. auctoritas (Q. 13) 19

Sacerdotibus ubique terrarum Missam celebrantibus. — In his Decretis titulus est particularis, objectum vero petitionis et rescripti est generale, et resolutio utraque æquivaleret Decreto generali ab omnibus servando.

3° Decreta particularia illa sunt quæ pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habent; seu in quibus, sive ex dubii expositione, sive ex responso, sive ex circumstantiis patet agi non de jure communi, sed de jure particulari personarum vel locorum, ex privilegiis vel legitima consuetudine exorto. — Hujusmodi Decreta non solum sub respectu tituli, sed etiam sub respectu materiæ tractatæ seu objecti illas dumtaxat respiciunt Ecclesias aut personas, in quarum gratiam sunt edita et prolata, et ad alias non extenduntur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 160.)

Talia sunt, ex. gr., Decreta plura quibus dantur Indulta specialia pro Missæ celebratione Sacerdotibus infirmis. — Item Decretum quo S. Congregatio declarat servari posse consuetudinem pulsandi tantum organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite missa est*. (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, antiq. 5102, ad 5.)

Q. 13. Quænam est auctoritas, et quænam obligatio Decretorum S. Rituum Congregationis?

R. I. Ad stabiliendam et definiendam auctoritatem Decretorum S. Rituum Congregationis sufficiat sequentia ipsius S. Congregationis Decreta referre:

1. Cum propositum fuerit penes S. Rituum Congregationem sequens dubium, videlicet: « An Decreta a Sacra Rituum Congregatione emanata, et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editæ, eandem habeant auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ? » S. Congregatio, expositis rationum momentis et diligenter consideratis, rescribendum censuit: « Affirmative. » (Decret. 23 Maji 1846, n. 2916, antiq. 5051, ad 7.) Non raro tamen fit Decretorum relatio ad Summum Pontificem, qui in casu ea suprema sua auctoritate confirmat.

2. Quid sit intelligendum illis verbis superioris De-